

Ann. VII.

Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES
VARSIAE POLONORUM VARSIAE POLONORUM LONDON W.

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

28, Orchard Street.

NEW YORK CINCINNATI

52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis.
Nova in Americis Respublica condita.

De militari puerorum recreatione.

Ioanna de Arc.

De Collegiis seu Seminariis exterarum gentium in Urbe.

Praesepii Dominici repraesentatio.

Puer Jesus in pingendi arte perspectus.

De festo Epiphaniae Domini.

Geographicae notae: Nordeskoldensis expeditio. - Sacrarum missionum fasti.

De SS. Congregationibus Romanis.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Pontifices nomine Pii.

Diarium Vaticanum.

Annales: Iaponiorum Russorumque contentiones. - Columbiana pax. - Somalium barbarorum minae. - Iberorum regis iter ad Lusitanos. - Serborum regi iusta denuntiatio. - Pacis trimphi.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

In tertia operculi pagina:

Sanctissimi Domini nostri Pii PP. X litterae in forma "brevis", ad Ioannem Baptistam Grosoli, — Per Orbem. — Varia: Capilli et lux. - Veterum cibi. - Longaevitatem admiranda. - Ioci. — Aenigmata.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCLXIV

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, 87 — ROMAE

Argumenta, quae, inter alia, proxime agitabuntur:

De Episcoporum origine. — De Ecclesiae Conciliis Generalibus. — De Sodalibus Religiosis. — De sacra eloquentia ac de praecipuis oratoribus, qui in ea floruerunt. — Urbanae memoriae. — De primis Ecclesiae martyribus. — SS. Patrum monumenta. — Institutiones et Festa tum vetera, tum recentiora. — De Antistitum collegiis. — Christiana coemeteria. — De "crematione" — Pontificiae aedes. — Vaticana militum praesidia. — Hymnologia sacra. — De cantu Gregoriano. — Pontificum sepulcra. — De SS. Relliquis. — De Palaestina deque peculiaribus monumentis Iesu Christi vitam attingentibus. — De populorum in Americas immigrationibus. — Christianae artis specimen. — De vestibus liturgicis. — De requie a laboribus per hebdomas, etc.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS.

Novo ineunte anno sociis et lectoribus ut prima verba dicemus suadet animus, tum ad gratias iis agendas ob fidem ac fraternalm dilectionem quibus sedulo vitam nostram, quam non inutilem fuisse confidimus, comitati sunt, tum ut fausta cuncta et felicia ipsis ominemur.

Quae quidem dona in novorum quoque subnotatorum bonum adpreciamur, quos multos exspectamus; unica enim hac via incoepsum audax item et arduum quod sumus adgressi ad optatum exitum perducere valebimus.

Curent igitur rem **Voci Urbis** benevolentissimi, iisque praesertim qui nobis auctores fuerunt ut facilius, magis planum omnibusque pervium iter sternebimus, prout videtis.

NOVA IN AMERICIS REPUBLICA CONDITA.

COLOMBIANOS cives miratos opinor, quod sibi passis gravissimam reipublicae iacturam nullus ex Europa omni, vel ex America auxiliator subvenerit. At detrimentum atque dedecus sibi imputent oportet illi, qui tamdiu cunctantes atque in gravissimo negotio nutantes, non sine fraude effecere ut rei tam pessimus foret exitus. Quod si, iusto atque aequo contenti praemio, oblatam de resecando Panamensi isthmo pactionem ab Americanis acceptilassent, praesens damnum haud ferme lugerent.

Quamquam novissima tanti negotii dies haud tam cruenta illuxit qualem diaria enarravere, vel faventes Columbianis scriptores effinxerunt. Haud enim puto civium decuriam missilibus eruentasse civili sanguine viam, quos Bogota navigium in Columbianam urbem immisit. Cuius immo urbis praesidiarii milites, vix oborta seditione, nulla pugna nullisque advelitationibus, arma posuere libenter, ita plane ut viderentur, metu forte aut desidia, cum perduellum turbis in eamdem sententiam discessisse. Quos iam milites una cum magistratibus urbis *Orenoco* navis Carthaginis novae in portum reduxit, caede et sanguine fratrum prorsus immunes.

Quibus peractis feliciter enata repente nova respublica est, quum Columbiani cives de summa iniuria nullam ultionem iam, vel vindictam accepturi amplius videantur. Frustra enim Reyes ille dux per Americanas civitates iter tanto strepitu duxit, vanas omnino edens minas, vanum spondens belli periculum terribilum imminentem. Ut enim vigent in praesens Columbiani exercitus atque classis arma, ut hiant aerarii vacuae plerumque crumenae, impotes omnino sunt militibus obsistere, iactantibus insuper se divitiis foederatae in nordica America civitatis gaudere.

Equinis faveat Columbianae gentis querimoniis, nisi forte certa argentiorum manus, qui tum ex Europa, tum ex nordica ipsa Americana civitate suam pecuniam reipublicae obtruncatae commodarunt? Concordat iis, metu et anxietate commota, factio divitum, qui ut fretum Nicarguense magis quam Panamense resecaretur optabant. Illi enim timent, ne recens natae reipublicae Panamensis aerarium solvi sibi aesi alienum deneget, quod alii contraxerint; metuant isti crumenae iacturam quam pinguescere sibi contra, si Nicaraguensis fovea deduceretur, iamiam fuerant auspicati. Non mirum profecto si bellica omnis hodiernae humanitatis ratio intimius cum investigata fuerit, pecuniariam semper causam abditam aperiat.

At contra qui isthnum incolunt et Columbiensem urbem, vix dicere est quantam ab expleta feliciter seditione confidant utilitatem sibi in posterum obventuram. Resecta enim per suos fines fovea inter oceanos, quibus maxime ingentia hodie communicantur rerum commercia, omnia novum iter persuleare videbuntur. Quinimo qui deterriti hactenus a commerciis vel ab itineribus per ignitum meridionale Americae caput, vel per Americam in Asiam, viae atque mercatores detrectant, per hiantem novam semitam rates suas omnes immittent.

Supputaverant haec satis Columbiani, nec avelli a ditione sua tam frugiferum cespitem ullo pacto voluissent. Eceur vero de opere suscipiendo, quod sibi quoque praenoverant tantum lucrum allaturum, veniam hactenus cunctando distulerint?

Hodie vero ita evaserunt res, ut inlatam sibi iacturam aequo et patienti animo sustineant, ut novam reipublicam sua e ditione divulsam iure vivere atque coalescere ipsi quoque cognoscant, ut sua negotia de aere alieno atque certam rem pecuniariam omnem cum seditionis magistratibus componant. Haec Reyes illi duci et populi legato Rooseveltius, civitatibus

foederatis borealis Americae praeses, atque Hay vir eius a secretis suasere: ut caveant saltem, ne novae provinciae suum imperium deserant, et Panamensi sese ditioni tradant, quod Caucasii et Bolivarenses, et Antioquienses populi moliri iam consilium audiuntur. Americani enim novam reipublicam ita in tutelam suam accipere visi sunt, quasi pupillam suo patrocinio et intercessione a privigni tutela vindicatam. Eam vero nimium, quam par esset, crescere et augeri viribus haud ita cupiunt, ne forte, lapsu aetatis, vel perturbetur bello, vel sui iuris omnino fieri cupiat vel satagat. Malunt itaque parvam tutare clientem parum validam pecunia, vel armis, quam ad longissimum sane tempus in obsequio retineant et coerceant.

Novi enim huius moliminis hic unus erit praecipuus exitus, ut fovea Panamensis brevi effodiatur, cuius patrocinium apud nordicos populos necesse est ut permaneat, qui illam, pactione iamdiu signata, suo aere deducendam curarunt. Profecto reliquias tantae rei conditiones, ut nimur tuta sit omnibus gentibus inter utrumque oceanum via, signata iam ab omnibus gentibus pactio defendit; sed ut Anglorum in Aegyptium fretum, ita nordicae Americanorum gentis erit in Panamensem tutela, quae plane auget atque augebit magis illius praeminentiam in reliquam omnem Americam, atque imperio dilatando amplius in dies sternet iter.

DE MILITARI PUEGORUM RECREATIONE.

NOVISSIMUS qui de puerorum institutione in valuit mos, ut militari veluti ritu in manipulos ad exercitia adolescentuli cogantur, non sine aliqua fatorum irrigione obortus appetit. Qua enim aetate tanta vis est mutuae caritatis, qua numquam maiorem fuisse praedicetur, et gladii foederibus, pactionibus, universorumque metu tam late et undique hebescunt, nonne eos quasi ludibrio pueris pertractandos relinqui videntur?

Verumtamen, quod hos attinet instituendos, magnae utilitatis res esse noscitur, dummodo tamen manipolorum, qui cogantur, ea sit disciplina, quae, militari pompa et splendore dum eos allicit, erudit simul, non tam ad corporis robur, quam ad animorum salutem.

Ad id enim spectant an non, quae passim habentur plerumque «recreatoria»? Parumper videamus.

En, certas ad palaestras, feriatis diebus, pueri coguntur, ibique, quodam sagulo induiti et ein-

gulo veluti praecineti, Lacedaemonio paene more usi, gymnicos ludos varios pertantant, cursum, saltum, aliaque huiusmodi.

Qui vero aetate proiectores gestare, sine imprudentiae nota, ballistas possunt, ii in manipulum redacti, ordines varios et motus, qui militum proprii sunt imitantur, armaque sua pertractant, interdumque, vel propositis a longe signis, de iaculatoria peritia, constitutis praemissis, glandibus missilibus inter se ballistaque decentant.

Adduntur hisce, ut incundior conventus evadat, tibicinum manus et tympanistarum, qui, procedentibus saepe per urbis vias manipulis, concentu militari praeanunt, quique per agrestia nonnumquam itinera, saluberrimae exercitationis gratia constituta, parvam cohortem eomitantur. Nec deest postremo ipsa pompa vexilli, quod vehementi diligere studio pueri addiscant, non aliter quam serius oportebit patria eos adamare signa, atque pro eis, si urgeat necessitas, mori.

Attamen quid erit si a tot optime excogitatis oblectamentis ut plebeiorum misella proles viros et trivios, vitiorum domicilia, derelinquat et salubri saltem solatio iuvetur, quid erit, inquam, si una animorum cultrix sancta religio abfuerit? Tunc profecto ipsa militaris vitae etsi ephemera consuetudo atque armorum exercitorum usus, non in iuvamen cedet adolescentium, sed longe peiores eorum animos, addita quadam quasi castrensi ferocia, reddet, rixosum plerumque plebeium animum magis accendet, turpiloquio et blasphemis et incitamentum et magisterium addet. Atqui huiusmodi spectacula, satis tristi iam experientia, per urbis vias inter sagatos pueros et adolescentes testes nonnunquam conspeximus!

Quibus ut malis occurrerent, recte catholiconum etiam mentes et ausus in idem conversa sunt consilium, ut qui saltem pueri nostris sub vexillis congregarentur, una cum delectatione militiae, rudimentis christianaee vitae vivendae aptis et monitis civium optimorum imbuerentur. Quod plane ad opus, etsi impiorum praezeros aemulatione et protervia, nec leve sit nec facile iter, advocari iam undique fidelium liberalitatem atque alacritatem oportuit, ut ingruenti iam late novae pernicie ipsi obsistant, puerisque novae civitatis auspicio, non tam solamen corporum quam praezeros animorum salutem comparent. Hac enim ratione una puerorum institutio militari ritu fausta, bona felixque patriae fiet.

IOANNA DE ARC.

DIE XVII superioris mensis Novembbris in palatio Vaticano coram SSmo habita est Sacrorum Rituum congregatio « generalis » ad iudicandum de virtutibus « in gradu heroico » Ven. Servae Dei Ioannae de Arc; quin imo in diariis legimus Pontificem eas adprobasse, et proxime decretum, quo declaretur de ipsis constare, iri promulgatum.

Quod quidem non sine bonorum laetitia eveniet; dum enim Gallia – ut verbis excellentissimi Remensis Archiepiscopi utar (1) – ita mul-

(1) Cfr. ^a positionem super introductione causae, Ven. Servae Dei Ioannae de Arc, pag. 851: litterae postulatoriae, num. I, I.

torum impietate hinc inde agitatur, ut fortitudinem suam in curribus et equis, non autem in nomine Domini reponit, imo vero magis in dies magisque Deo nuntium remittere videatur, quam necessarium erit civitati, quam Religioni fructuosum, si Sancta Mater Ecclesia Virginem illam singularem glorficando, per quam Galli patres servati et liberati sunt, Patronam novam pericitanti Galliae sit tributura, et omnibus eius civibus in memoriam reducat a quo salus olim patriae facta sit, et a quo speranda sit in posterum; a Deo scilicet optimo et maximo.

Re vera, Ioanna haec, sive, prout vulgo dicitur, Aurelianensis puella, in omnibus et ante omnia Servatorem Deum habuisse apparebat in operibus suis, quae profecto alias non perduxisset ad exitum. Si enim documenta tum ab inquirente Ecclesia tum ab ipsis historicis collecta inspiciamus, eam, e Iacobo de Arc et Isabella Romé in pago Lotharingiae Domremy die VI mens. Februarii an. MCDXII natam, iam a tenellis annis pientissam invenimus, tantaque virtute, ut decimum et tertium annum agens virginitatem suam Deo voverit. Neque praeimum in terris ipsis ei defuit, quum haud multo post divino numine inflata propositum illud in se firmaverit, quod prius facinoris magnitudine deterrita dimoverat, Henrici VI Anglorum regis, Parisiis a duce de Bedford, Galliae regimen tenente, Gallorum quoque regis creati, in exercitus procedendi, et haeredem legitimum Carolum VII adiuvandi, apud Ligerim et Aureliam obsecsum, iamque, extorrem patria, de Hispania sibi petenda cogitantem.

Num puellam sequamur in pagum *Burey-le-petit* apud patrum suum Durandum Laxard, eique mentem suam aperientem; et obiiciente illo, tenacem propositi, affirmantem iam alias dictum esse « quod Francia per mulierem desolaret et postea per virginem restaurari » debere? (1) Neque de plurimis contradictionibus quas Ioanna est passa sermonem instituemus, dum illa, in missione sua indesinenter persistens, immota respondit « oportere quod iret versus nobilem Delphinum, quia Dominus Caeli rex suus haec volebat, et quod si deberet ire supra genua sua, iret » (2). Igitu tandem interposita fide Lotharingiae ducis, iter aggrediens dominica quadragesimae, die XIII mens. Februarii an. MCDXXIX cum viriles sumpsisset vestes equumque concendisset, ivit per duodecim dies, undique Anglis et Burgundionibus prementibus, at Michaele archangelo, S. Margarita et S. Catharina eam a periculis, uti aiebat, defendentibus, ita ut, novis quotidie obstaculis superatis, in Cainonis civitatem coram rege tandem produeta fuerit. « Ego tibi dico – ita Carolo aperte Ioanna – ex parte de Messire, quae tu es vray heritier de France, et filz du Roy; et me mittit ad te pro te ducendo Remis, ut ibi recipias coronationem et consecrationem tuam, si volueris » (3). Regalibus haesitationibus victis, et puella doctorum commissa consilio, qui communis sententia censuerunt nihil se invenisse in ea fidei

(1) Ex testimonio ipsius Laxard (in processu rehabilitat. V. S. D. post eius mortem, tom. 2, pag. 449). — Anno MCDXX Trecensi in Urbe sanctum foedus fuerat, ut e regno Galliae proscripto « Delphino », Angliae rex, uxorem cum duxisset Catharinam, Caroli VI filiam, regimen acquisitae civitatis ac praeumptam Gallicae corona haereditatem obtineret.

(2) Proc., pag. 409.

(3) Ibid., pag. 101.

catholicae contrarium, atque insuper « quod attenta necessitate eminenti et periculo in quo erat villa Aurelianensis rex poterat de ea iuvare et eam mittere Aurelianis » (1), comitibus hominibus nonnullis a rege ei addictis, inter quos Fr. Ioannes ex Ord. Fr. Erem. S. Augustini, in Blesensem Ioanna se contulit civitatem, ubi exercitus collectus fuerat ad obsessae Aurelianensi urbi commeatus comparandos. Gladio quinque crucibus ornato et vexillo munita Iesu Christi Servatoris imaginem praebente, « quod nolebat uti ense suo, neque volebat quemquam interficere » (2), litteras ad supremum Anglorum ducem mittit, ut ei recessum suaderet, coque renuente, imo Puellae insultanti, ipsa... Sed praestat audire ipsius Gallorum exercitus ducis supremi, De Dunois comitis, testimonium: « Ascendit equum et sola recessit in unam vineam satis longe a turba hominum, in qua vinea fuit in oratione quasi per spatum dimidii quarti horae; ipsa autem regressa ab illo loco, statim coepit suum vexillum in manibus suis, posuitque se supra bordum fossati, et instanti, ipsa existente, Anglii fremuerunt et affecti sunt pavidi; armati vero regis resumpserunt animum, et cooperunt ascendere, dando insultum contra bollevardum, non reperientes quamcumque resistantiam; et ex tunc dictum bollevardum fuit captum et Angli existentes in illo conversi sunt in fugam; omnes autem mortui... In crastino vero, summo mane, Angli exierunt de suis tentoriis et se ordinaverunt in exercitu pro pugnando. Quo viso dicta Puella surrexit de lecto et armavit se solum suo habitu, non tamen voluit tunc quod aliquis invaderet dictos Anglicos, nee aliquid peteretur ab eis, sed quod permitterentur abire; sicut et de facto abierunt, nemine eos tunc persequebantur. Ex qua hora dicta villa fuit ab hostibus liberata » (3).

Puellae haec Aurelianensis gesta, quam aequales omnes miraculo tribuerunt eius ope divinitus patrato; alia contra Anglos sequuntur in castris ac in civitatibus Mehun, Baugency, Jargeau, Patany, etc. quibus tandem rex consecrari atque coronari Remis in urbe libere potuit. Neque tamen Ioannae missio tunc absolvebatur: alia enim loca ab hostibus purganda erant; sibi autem in bello erat morendum. Itaque post subiectas S. Petri Monasterii et Latiniacum urbes, Compedium accurrit, a Burgundiae duce et ab Anglis obsidione cinctam, ubi heu! die XXIV mens. Maii an. MCDXXX cum ab urbe egressa esset ut hostes exploraret et retrusa in eam iterum ingredi vellet, Guillelmus Flavy, urbis rector, portas clausit, effecitque ut, a Burgundiorum exercitu circumdata, virgo cum paucis capta fuerit.

Quae inde secuta sint satis constat: Ioanna in carcere condita, omnibus conviciis obnoxia, infando haeresis magicesque indicio igni est tradita die XXIX mens. Maii an. MCDXXXI: inter flamas Iesum invocans, quam vitam non muliebrem sed sancti fortisque viri egerat, ita clausit.

Sedatis in Gallia perturbationibus, Carolus VII inquisitionem de processu Puellae decrevit, quam

(1) Ibid., pag. 102.

(2) Ibid.

(3) *Inquesta facta Aurelianis*, pag. 3, tom. III.

deinde Callistus PP. III an. MDLV, vix Petri sedem ascendit, a Ioannae parentibus et consanguineis rogatus, suam fecit, Apostolicos Iudices designans, qui collectis undique probationibus, reque matura deliberatione perpensa, causam iterum iudicarent. Qui quidem die VII Iuli an. MDLVI « rehabilitationis sententiam » ediderunt Puellae innocentiam omnino declarantes, processum irritum, et abiurationem, qnam dicebatur sponte ipsa edidisse, « falsam, subdolam, ac nullam ». Sanctimoniae fama, in Gallia et extra vulgata, diutina mansit, imo increvit. Itaque iam ab an. MDCCCLXIX plures Galliae Sacri Antistites a Pio PP. IX efflagitarunt ut honores maximos ac praestantissimos moribus virtutibusque singularibus reservatos Aurelianensi virginis decerneret. Non vero ante an. MDCCCLXXIV iuridica, quam dicunt, inquisitio de re in Aureliana curia instituta est, et abhinc annos decem tantum « signata est Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum ».

DE COLLEGIIS SEU SEMINARIIS EXTERARUM GENTIUM IN URBE.

COLLEGII societas est, corpus hominum, ad minimum trium, (ut colligitur ex Nerat. Prisco, *Dig.* 50, 16, 85) eiusdem dignitatis, munieris, vel artis. Ea igitur loca, redditibus Ecclesiasticis instructa, in quibus aluntur pueri, litterisque, bonis artibus ac religione erudiuntur omnia vulgo Seminaria appellari malim, translate certe a communi huius verbi significazione; sed tamen quam pulchre quis non videbit? Seminarium enim dicitur plantarium, locus in agro, in quo surculi arborum, aut semina seruntur, ut, ubi ad certam magnitudinem adleverint, in aliud locum transferantur.

Quod si poetica haec imago, uti adnotavi, huiusmodi institutis omnibus applicari recte potest, quanto magis institutionibus illis aptatur, cuius ephebi colendae Vineae Domini selecti atque ad Petri sedem proprius missi, viribus demum valentes bonam frugem bonumque semen in remotas regiones inde reportant?

Atqui alma Urbs, universi orbis caput, haec seminaria ad exterarum gentium bonum antiquitus coluit. Iam enim, Iulio III pontifice, opera Ignatii de Loiola, Societatis Iesu conditoris, an. MDLII constitutum invenio *Collegium Germanicum-Hungaricum*, et virgultis satis uber. Vita autem funeto Pontifice, qui summa cum liberalitate adulescentibus subvenerat, gravibusque belli rumoribus exagitatis, sanctissimus conditor non quidem seminarium suum dispersit, sed teneris arboribus in variis Ordinis sui domibus collocatis, ipse eleemosynis humiliter victum iis comparabat. Sed an. MDLXXXIII Gregorius PP. XIII Apostolicae Sedis curiae collegium iterum commisit, et non solum confirmatione sua, sed sapientibus etiam providisque legibus seminario consuluit, assignavitque S. Apollinaris templum eum proximo aedificio, ad Cardinalis templi illius titularis habitacionem erecto. Illic munificus Pontifex ephebos centum educari iussit ex Germania et Hungaria, et ad rem capaces redditus constituit.

Societate Iesu abrogata, cuius sodales collegii curam privilegio habebant, collegium ipsum clausum est usque ad Pii VII tempora, quum, restituta in integrum Societate, in ipsa domo « professa » Iesuitarum ad templum Farnesianum renovatum est. Inde ad sedem Gregoriani athenaei deductum, stabilem stationem denique obtinuit ad S. Nicolai Tolentinatis in propriis aedibus, satis amplis itemque nobilibus, prouti locum decebat, unde tot viri exiere litteris ac pietate insignes, quorum plures et in sacrum Pontificis senatum deinde relati sunt, et in sua civitate in ordinem « Sacri Romani Imperii electorum ».

Sed Gregorii XIII nomen seminarii alterius memoriam revocat, ab ipso Pontifice quoque erecti; *Anglorum Collegium* dico, qui domicilium illud tenet adhuc, quod initio habuit, in Urbana via, quae a Monte Serrato appellatur, ubi prius Anglorum Romanam peregrinantur erat hospitium. Non tamen sedes absque mutationibus relicta est; eminentissimus enim Cardinalis de Norfolk renovavit, ope usus clarorum in architectura magistrorum Legenda et Fontana, quibus etiam commisit renovationem templi cum domo coniuncti, S. Thomae e Cantorbery dicati, gravis profecto monumenti tum antiquae, tum recentioris artis christiana. Etenim inter antiquas Urbis « abatias » numerabatur; refectum autem muralibus tabulis omnino decoravit celeberrimus artifex Nicolaus Pomarancio, qui picturis expressit Fidei Christianae adsertores martyrio in Anglia coronatos.

Alumnorum eura et ipsa Patribus e S. I. quondam commissa, nunc a Praesule ex Anglica civitate delecto habetur.

PRAESEPII DOMINICI REpraesentatioN.

SACRI Dominici praesepii populo effingendi primum auctorem Sanctum Franciscum Assisiensem fuisse apud omnes passim scriptores vulgatum est. Quae igitur hodie pia figuratio tum in sacris templis, tum praesertim privatis in domibus parentum cura extruitur, quaeque Betlehemiticae cryptae arborum corticibus conficiuntur a Sancti Francisci studio caritatis impensisimo duxerunt originem. Qui, profecto, ut divino consilio ortus est ferrea media in aetate ut Iesu Christi figuram hominibus quodammodo suae vitae ratione iterum redderet, quique igitur eamdem sortem nactus fuerat divinae largitione bonitatis ut in stabulo et Ipse enaseretur, anno MCCXIII Grecio in oppido Reatinae vallis, hanc sacri praesepii representationem primum tentavit. Itaque in lucem oppidi proximum praesepi posuit et stramine munivit, signaque bovis asinique adponens, in medium stramen Pueri Iesus simulacrum collocavit. Illud suavissime deoseulans, Nativitatis Dominicæ noctem integrum in oratione deduxit: haud solus tamen; ad festum enim omnes oppidanos ex finitimis locis invitaverat, quos immo faustissima sorte eo esse vocatos brevi apparuit, cum acceptis Sancti viri ex manibus e praesepi illo paleis, haud pauca sibi prodigia eaque gravissima compararunt.

Pastores enim advenerant ad feriam certatim avena atque fistula ludentes suavissima, adque praesepi sacram Missae solemniter, inter populares concentus est celebratum, cui ministravit ipse Franciscus diaconi functus officio, atque post Evangelii lectionem fusum habens de Dominica Nativitate sermonem ea pietate, quae ex omnium oculis lacrymas excitaverit. Sacro itaque in loco, post Francisci obitum, pium est erectum sacellum cum altari ibi posito, ubi praesepium Franciscus posuerat. Exinde huiusmodi Dominicæ Nativitatis repraesentatio communis facta est et consueta non tantum inter Fratres Minores, verum etiam et apud alios religiosos ordines tum virorum, tum mulierum.

Praesepium itaque, non alias ac Franciscus instituit, et hodie effingitur, stabulo eretto cum signis fictilibus et Infantis Iesu in stramine iacentis et Deiparae atque Sancti Iosephi, quos circumstant pastores genuflexi oblationes suas divino nato apponentes: cryptam vero dominantur angelorum chori concinentium Deo gloriam, hominibus pacem. Sacra autem Theophaniæ die adveniente apponuntur quoque Regum figuræ tres, qui ex Oriente advenere Betlehem cum suis famulis atque cum donis suis, auro, thure, myrrha. Adduntur quoque saepe varie camporum et montium effecti aspectus et pascentes greges, atque insuper fistula ludentium pastorum signa. Quin immo olim in urbem concurrere ex montibus agrestes assueverant, ut sancta Nativitatis novendialia per vias, atque ante Deiparae imagines, suis concentibus celebrarent.

Plures Dominicæ praesepii repraesentationes celebres evasere per saecula. Ut non dicam de pictorum tabulis neque de figuris fictilibus a fratribus Della Robbia excultis, de Rohanensis Ecclesiae more loquar, ubi scenica veluti actione mysterium Dominicæ Nativitatis repraesentatur. Praesepium post altare maius effingitur, signis Sacrae Familiae exornatum. Apparet puer quidam angeli ad instar personatus, qui enatum esse Dominum canonicis, personam pastorum sustinentibus, nunciat. Tum ii, ducta pompa, ad praesepium accedunt, natum adorant Dominum, post quae solemnia Missarum celebrantur. Quibus peractis rogat eos sacerdos: — « Quem vidistis, pastores? » Cui illi concientes simul: — « Natum vidimus et choros angelorum, etc... »

Romae autem praecipua praesepii figuratio eaque maxima, in Ara-caeli templo Deiparae dicatum, a Minoritica familia, prouti decet, exstruitur, eaque coram pueri certatim suos sermones vel carmina natalicia recitant. Celebrari enim antiquitus scriptis carminibus atque pastoralibus praesertim dramatis Dominicæ Nativitatis eventus assuevit. Aemula vero Arae-caeliana repraesentationis altera fuit, quam vir venerabilis Franciscus Pallotti instituit in templo S. Andreæ de Valle, a die Epiphaniae sacra usque ad eius octavam colenda omnibus.

Pium tamen atque saluberrimum morem praesepii Dominicæ scalpendi vel pingendi antiquissima monumenta testantur, prouti supra memoravi: musiva opera, tabulae, signa, nummi, coelataeque gemmae, vitra templorum et similia. Inter quae perinsignis profecto sculptura



Praesepe Domini ab Octaviano Nellio effectum.
(Photographice expresserunt Fr. ALINARI, Florentiae).

sub suggestu Ambrosiani templi Mediolani exstat. Pariter Anconitana in cathedrali Ecclesia sareophagus, qui eodem saeculo addicitur, nativitatem Domini ostendit.

Similia habentur in Syriaco vi saeculi codice Lateranensi; praecipue vero adnotanda quae in coemeterii Sanctorum Iulii PP. I et S. Valentini quadam crypta imago reperta est.

PUER IESUS IN PINGENDI ARTE PERSPECTUS.

PUERUM Iesum vel in praesepio humiliter cubantem, vel in ulnis a Virgine Matre Magis regibus, pastoribus, christicolis adorandum exhibitum quo melius effingerent coloribus, peritissimi quique picturae, nobili quadam aemulatione, inter se contendisse videntur. Atque in primis animadvertisendum existimamus vel in Ecclesiae initis, quum primi christifideles sacra peragentes hypogaeorum premebantur angustiis, iam tum ab artificibus divinum puerulum penicillo, aut in anaglyphis reddi coepit esse. Prima id genus opera nullius fere sunt momenti, quum nihil aliud, nisi romanae artis ad occasum vergentis praebant monumenta. Neque pluris habenda videntur huiusmodi tabulae a Bizantinis, vel ab aliis, bizantino more, pictae, utpote quae proceris rigidisque formis ab humanis verisque maxime dissident.

Infantis Iesus pictor dignus, qui memoretur, primus occurrit Octavianus Nellius, qui simplici utens pingendi ratione, verum confecit praesepe, prout nostris adhuc diebus a populo effingitur novendialibus precibus nasciturum Messiam invocante. In eo enim videre est Virginem Deiparam brachia tendentem filio, qui cum levi risu, tum manibus sublati matri invitanti perliberter respondere, atque ex humili stramento surgere videntur. A dextera interea duae ad praesepe properant mulieres, quarum una urceum aquarium, altera linteal fert manibus et fascias, quibus infans Iesus induatur. Sanctus autem vir Iosephus, dextro in latere fere abditus, admirabile humani generis Ser-

vatoris mysterium secum animo cogitat atque meditatur. Bos etiam asellusque mirificum Redemptoris adventum animadvertisse apparent, quippe quum a stramine comedendo destinet attonitique insolitum circumspiciant spectaculum.

Exquisitiorem redolet artem tabula a Philippo Lippio picta, quae Florentiae asservatur in palatio « Pitti », in duas divisa partes, sive scenas: harum in anteriore Virgo Mater oculis accipitur, cuius in genibus divinus insidet filius malum punicum, foecunditatis symbolum, manu praebens spectantibus. Posteriore in tabulae parte puerpera quaedam in lectulo effingitur, quasi in Dei Matris fidem, fausto auspicio, sit commissa: hinc et illinc foeminae, laetitia exsultantes, curis prosequuntur donisque cumulant puerperio adhuc aegrotam, quae nato suayiter ad blanditur, dum pater dextrorum externam domus concendit scalam, nuntium pueruli recens orti relatus sacerdoti, qui sacris lustralibus abluit aquis.

Personarum multitudine ac varietate sumptuosis exornatarum vestibus admirationem coniicit in spectatoris infans Iesus Magis regibus colentibus a Virgine Deipara mediis in brachiis praebitus, quem pinxit Florentiae Dominicus Ghirlandaio. In hac enim tabula auctor vestes et ornamenta suis temporibus in more spectantium oculis tali subiicit arte, ut magnificus Magorum regum comitatus ex puellis, pueris, viris equitibusque Florentinis constitui videatur, atque ex his omnibus quid unum harmonicum mirificumque proficiscatur.

Magos reges Messiam adorantes effinxit coloribus etiam Bernardinus Luinius, qui non

secus, atque artifex, quem modo memoravimus, in iis regiis personis eorumque pueris virisque concomitantibus pingendis, principes et comitatus suorum temporum sumptuosis vestibus ornamentisque nitentes sibi reddendos coloribus constituit. Hae tabula asservatur in Galliae Cisalpinae oppidulo, quod italice « Saronno » appellatur.

Finem, quem sibi praestituerant Dominicus Ghirlandaio et Bernardinus Luinius, plene perfecteque est assecutus Benotius Gozzoli, qui Florentiae in sacello palatii « Riccardi » quo tunc temporis tamquam regia Medici utebantur, summa rerum potiti, reflorentes artes, atque Medicei principatus ritus magnificos, pomposaque instituta peniculo effingenda suscepit. Per insignis itaque artifex in pariete absydi proximo Virginem pinxit divinum filiolum Magis regibus adorandum praebentem: dextera autem et sinistra mediis in arboribus festiva beatorum spirituum agmina oculis accipiuntur. Reliquis in parietibus magnificos trium Magorum regum comitatus ad praesepe properantes videre est, qui centum triginta personis in compositum, quadraginta equis, quatuor dro-medariis constant. Heic, nisi spatii angeremur angustiis, verbis abunde esset persequendum immanis istud magnitudinis opus, quod personarum numero ac varietate, vestium ornamentiisque opulentia atque splendore spectatores admiratione percellit; sed satis illud leviter attigisse.

Per ingentibus tabulis, de quibus diximus, exigua mole adversari videtur quam pinxit Laurentius Sciarpellonius, cognomento « di Credi » communiter notus, qui Mariam eiusque integerrimum sponsum adorantes puerum Iesum ita coloribus effecit, ut eae personae, suavi nitentes pulchritudine, exquisitissimam Urbinatis praesentirent ac redolerent artem. Hoc insigne pietrae opus Romae suburbanae Burgesiorum villae pinacothecam statis diebus invisentibus admirari licet.



Philippi Lippi tabula
Iesum puerum cum Matre sua exhibens.
(Photographice expresserunt Fr. ALINARI Florentiae).

Dignas id genus tabulas, quae laudentur, pinxerunt quoque Beatus Angelicus, Benvenutus Tisius, vulgo « Garofalo » appellatus, Albertus Durero, Petrus Vannuccius, de quo in Commentario nostro plenis iam diximus verbis, et alii sexcenti, quos numerare longum est. Attamen facere non possum, quin obiter memorem, Ioannem Van Dyck belgam, Gherardum Honthorst batavum, cui *delle Notti* cognomen datur, quod nocturnis pingendis scenis, Caravaggiano more, maxime delectabatur, et Alexandrum Botticellum, qui in huiusmodi effingendis tabulis, de quibus verba fecimus, perfectionis fastigium attigisse habetur.

Mirum sane est trium artificum primum, qui floruit XIV christiano saeculo ad extremum vertente, vel XV ineunte, quum pingendi ars nondum adoleverat, tam suavi decoro Virginis vultum exornasse Messiam Magis regibus adorandum praebentis.

Alter autem pictor tres mulieres peniculo reddidit infantem Iesum in Virginis ulnis colentes, quae tamen oculis, fronte, labiis, totaque facie videndi potius, quam adorandi ostendunt cupiditatem. Neque vera Deipara patet adspectu Maria, cuius in sinu per bellum quidem admiramur puerum, at minime divinum. Praecipua huius tabulae virtus sunt mirifici effectus, qui ex luce atque ex umbris inter se harmonice decertantibus, sive, ut rectius dicam, foedus sapienter pangentibus, proficiuntur (1).

Tertius denique, videlicet Botticellius, Virginem Mariam brachiis ferentem, vel foventem sinu puerum Iesum mediis in angelis adorantibus quater penicillo effingendam suscepit, totidemque illud Horatii

«..... variata placent» ad unguem in usum deducere; maxima mentis acie ornatus, valuit. In his tabulis, quarum tres Florentiae asservantur, alia autem Romae, personarum, praesertim beatorum spirituum, vultus ac formae tam suaviter tenuia, exquisita, perfecta eluent, ut ea non hominis, sed superiorum arte confecta videantur: fieri enim non potest, ut animus, in hoc sublimi perspiciendo spectaculo, a terrenis se expediri, atque ad caelestia contemplanda quodam modo tolli rapique non sentiat.

DE FESTO EPIPHANIAE DOMINI.

EPIPHANIAE festi nomen graecum omnino est, idque apparitionem significat; unde etiam «theophania» est appellatum, hoc est festum

patefactionis divinae. Ab Apostolis ipsis, prouti vulgo creditur, institutum, tria memorat miracula, et de stella quae Magos ad praesepe duxit, et de Galileis nuptiis, quando divinum sese numen Christus ostendens aquam in vinum convertit; denique de sacro Christi lavauro in Iordanis; ad quam memoriam Graeci accedunt, dum Latina Ecclesia praesertim Magorum celebat adorationem. Cum autem antiquitus Nativitas ipsa dominica non iniuria epiphania appellata fuerit, — pastoribus enim tum se Christus aperuit, — hoc de quo agimus «festum de luminibus», et «de secundis epiphaniis» dictum est inter alios a Gregorio Nazian. Inde certe Patrum a S. Dominico mos est deductus, magno

neque enim tunc perfecta, sed inchoata tantum ethnicorum conversio erat.

Iuxta mandata Concilii Aureliani IV (can. I), Concilii Tolet. IV (c. IV) et *Pontificalis Romanis* hac die mobilia totius anni festa annunciarci debent. Graeci autem in memoriam Christi baptizati multis caeremoniis benedicunt aquam, in quam trina demersione Crucem infundunt; ex aqua purificantur domus, quod apud nos fit Paschalibus diebus.

Haec de solemnissimo festo die et de eius ritibus memorasse sufficiat; num erit addendum apud Romanos nos ea die pueros munuscula exspectare quae et parentes et propinqui do-

nent, arecae illius ac deformissimae foeminae mandato, cui *befana* nomen indiximus? Consuetudo haec proculdubio donorum a Magis Christo oblatorum recordationem consecrat, non aliter ac nomen ipsum *befana* epiphaniae nomen in mentem revocat, quamquam non defuerunt speciosi homines, qui *beffanam* scribentes, nomen idem deduxere ab italica voce *beffe*, id est irrisio, ludificatio, sese referentes ad Herodem a Magis deceptum, qui cum moniti essent ab Angelo ne ad eum redirent, «per aliam viam reversi sunt in regionem suam». Non equidem istis assentior, cum haud donanti, sed accipienti potius nomen tribui deberet, quando iam diu exspectanti nullum donum offerretur; quod fit nonnumquam ad puniendam puerorum insolentiam. Tunc enim iis *befana* praebet cinerem et carbonem.



Dominici Ghirlandaio tabula Magorum adorationem referens.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

luminum apparatu hac nocte in suis templis matutinum celebrandi, in quo progenies Christi secundum Lucam in tertio nocturno canitur.

Diximus Latinam Ecclesiam praesertim in epiphaniae sollemnibus Magorum adorationem hac die commemorare; itaque plurima de re in sacro officio referuntur, inter quae in memoriam revocabimus invitatorii ad Matutinum omissionem, sive, prouti nonnullorum scriptorum sententia est, «ut a dolosa invitatione Herodis discrepemus» (1) sive, ut alii putant, quia Magi aperte non fuerant ad adorationem Filii Dei, ut Angelorum annunciatione pastores, sed nutantum stellae invitati (2).

Item retinetur matutinus hymnus, qui cum sit perfectorum symbolum, non pronunciatur;

GEOGRAPHICAE NOTAE.

NORDESKIOLDENSIS EXPEDITIO.

ARGENTINENSES Uruguay navigii nautae ad Nordekioldium sociosque eius requirendos, qui meridionales hyperboraeas tenebras aggressi fuerant, Ludovici Philippi in terris eos reperere tandem ac sospitarunt. Haec de iis quae ad geographicam rem spectant praecipua maximique momenti summique gaudii his diebus notitia, circa quam aliquid dicere operae pretium est.

Otho ille Nordekioldus avunculum haud minus audacem viatorem habuerat, anno MCMI vita functum. Cuius vestigiis insistens, sextum vix lustrum noster attingens aetatis, itinera tria perardua expleverat omnium lande. Patagoniam enim primum ignitamque terram, mox ad oppositas Americae oras Klondikium lustravit

(1) Cfr. MICROL., *De Eccles. observ.*, c. 40.

(2) Cfr. DURAND., lib. 6, c. XIII.

litus atque Laponium, postremo, anno MCMII declinante, ad antarcticum polum vertit ratem, ut meridionalis Americae, iam a Dupont d'Urville recognitum, ipse investigaret mysterium.

Ianuario proximo mense quum navem condescisset, cui Antarticae nomen dedit, australes inter glaciales montes immisit suos, diuque persileato mari, Ludovici Philippi ad meridionalem oram appulit, quam Urvillius anno MDCCXXXVIII recognoverat. Casa exstructa, cum quinque sociis ibi mansit, quos inter navarchum quemdam Argentinensem, ex venia Argentinensis reipublicae secum adductum. Simul Seymour in insula commeatus acervi congesti sunt; dum navis iter circa litora pergit, pacto foedere, ut sequentis anni initio ad casam illam rursus nautae appellerentur, Nordensioldum sociosque iterum in navem suscepturi. Hac mente qui doctores naturaeque disciplinis periti in navi erant, diuturno itinere Georgianas insulas et Falklandenses singillatim lustravere, tandemque, occidente anno, rursus ad socios viam converterunt.

Ad Martium aut Aprilem mensem an. MCMIII expeditio promiserat redditum in infimam Americae partem; verum quatuor post menses silabant etiamtum omnia, redieratque nemo. Proculdubio infortunium acciderat. Tum Suetii, Charcot duce, instruxere navigium ad naufragos cives suos vestigandos, adiuvandos, pariterque Argentinenses, Moreno doctore rogante, ballistariam navem simul pro sua parte misere.

Primi autem Argentini, cum tenuerint austrum, tum Nordensioldum sociosque eius, praeter nautam unum morbo absumptum, suis in casis repererunt, tum doctores illos et comites in Seymour insula prope commeatus acervos, quo, post confactum glacie navigium, appellere coacti fuerant. Charcotus itaque, quum navis eius *Francais* nil reliquum sibi haberet, Nordensioldii vestigia ipse sua vice sequi constituit, cuius audaci facinori liberalis quisque animus felicem exitum vehementer ominatur.

SACRARUM MISSIONUM FASTI.

Aequum est autem tropaeis hisce humanitatis provehendae ut religionis proiectae latius fastos iungamus. Felicia enim ex Indostania terra, praeter spem accepimus. Maslipatam in locis communitas nova fidelium coaluit, crescitque in dies cathecumenis Serapatamio et Vadigadamio et Polokunda ex oppidis advenientibus. Simul Gudimotenses oppidani doctorem fidei expetunt, quem nondum ad eos mittere licuit.

Mirum est autem apud Sinenses quoque, idque praesertim post novissima bella cladesque, diffundi catholicae religionis imperium. Celi provincia hanc praesertim novam messem uberrimam obtulit; non modo enim tempora sacraeque domus, seditione diruta, instaurantur ubique, sed iam aeternae veritatis asseclae ad octo milium usque numerum sunt baptismi sacris undis ut abluantur parati.

Similem profecto Iaponii incolae Riunkin in insulis portendunt spem. En legiōnēm fidelium miramur exultam, ubi decennio ante nec unus quidem fuerat; sed advocantur passim ad finitimas provincias sacerdotes, quorum tamen numerus nimis exiguis est. Ad Christum sese vertunt incolae passim, atque ex fidelium

agmine non pauci magistratibus iam potiuntur, et auctoritate pollent.

Ex Africa accepta maxime auribus nostris Lobembana terra, atque Madagascar insula abunde praebent. Illic enim populi plurimi et tribus recensentur quae una simul baptismō ablui expetunt; templa autem quae tot fidelibus satis sint ut extruantur pecunia plerumque desideratur; quamvis iam ad Nyassensem lacum, cuius finitimas Lobembani incolunt terras, tringinta sacerdotes Christi appulerint. Similia Madagascar in insula fiunt, Betafo praesertim ad loca, ubi pagani passim Galileum magistrum sequuntur, vel profiteri eius fidem cupiunt.

Haud tamen ubique credendum est laeta omnia pariter accidere. Plectitur enim Ecclesia vehementer, praesertim ab Aethiopo haeretico rege Kaffa et Harrar in terris, pro quarum incolumentate alacres fundere preces oportet.

=====

DE SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

CONGREGATIONES sunt pars Curiae Romanae, quam necesse est ea complecti officia quae in regimen totius Ecclesiae incumbunt; nam, iuxta Cardinalis de Luca sententiam (*Relatione Curiae Romanae forensis eiusque Tribunalium*, etc., II, 11): « Curialium autem nomine veniunt omnes qui opera, consilio, labore aliove munere Papae inserviunt in Ecclesiae administratione ».

Quum vero in hunc praecipue finem Cardinalium dignitas esset antiquitus ordinata, iuxta illud S. Bernardi ad Eugenium III: « Veniamus autem ad collaterales et adiutores tuos: hi seduli tui, hi intimi tui eligendi de toto orbe orbem iudicaturi », itaque omnium cardinalium conventus apud Pontificem ad deliberandum de certa quaestione *Consistorium* est appellatus. Atqui hoc ex Consistorio Sixtus V, celebri sua constitutione *Immensa*, Cardinales distribuit in certas congregations, cum mandato in perpetuum concessa tractandi certum negotiorum genus, a quo praesertim singulae congregations sunt appellatae: experientia enim docuerat negotia Pontificis vel Cardinalium suffragio ita submitti, ut ex certis praeviis inquisitionibus satis enodata essent ad solutionem.

Horum collegiorum itaque auctoritati tradita sunt negotia, quae ad potestatem publici regiminis sece referunt: quare alia sunt « ordinis legislativi », alia sunt « ordinis executivi ». Legum vero et decretorum executio obtinetur aut per simplicem potestatem Pontificis « executivam », aut per potestatem executivam ex officio, — quod est munus Congregationum primigenium, — aut per potestatem iudiciale, aut denique per potestatem coactivam. Atqui iam patet quaenam sit natura Sacrarum Congregationum. Cardinales enim Congregationi addicti in id intendunt, ut directius et per se inquirant in aliquod genus negotiorum ordinis administrativi. Igitur certa procedendi ratio est omnibus congregationibus communis, quae primum coalescent ex pluribus Cardinalibus, atque ex nonnullis officialibus, quibus omnibus

ex Cardinalibus unis, delectus ad rem, Praefectus gradu praeponitur.

Distinguuntur itaque in singulis congregationibus conventus Cardinalium congregationi addictorum, qui conventus « plena congregatio » nuncupari solet, a « congressu », quem statutis diebus Cardinalis Praefectus simul cum nonnullis officialibus habet. In congressu hoc expeduntur negotia, haud gravissima, quae tamen aliqua deliberatione indigent; graviora vero vel praeparantur, ut ad plenam congregationem deferantur, vel remittuntur ad audientiam SS. Minora autem, seu quae nulla quaestione implicantur, ab officialibus expeduntur debita forma, cuius potissima pars est subscriptio Secretarii et Cardinalis Praefecti.

Sed ad notitiam magis plenam habendam maximi huius, ut ita dicam, Ecclesiastici machinamenti, iuvabit singulas hasce Congregations in suis officiis propriis adspicere, quod per annum expedire in *Voce Urbis* nobis possumus.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Episcoporum et Regulorum:

— Dispensatio votorum pro monialibus domorum filialium in dioecesi existentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competit Ordinario domus filialis, non Ordinario domus principis (Decr. d. 21 Aprilis 1903).

— Attentis peculiaribus conditionibus in quibus religiosae Congregations in Gallia versantur opportuna regulae latae sunt ad annum tum viris, tum mulieribus domus suas deserere coactis sub die 24 Martii 1903.

Ex Congregatione Indicis:

— In indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

CHARLES DENIS. *Un carême apologétique sur les dogmes fondamentaux* (Paris, 1902).

CHARLES DENIS. *L'église et l'état; les leçons de l'heure présente* (Paris, 1902).

L'ABBÉ GEORGEL. *La matière; sa déification; sa réhabilitation au point de vue intellectuel et aimant; ses destinées ultimes* (Oran, 1902-1903) — (Decr. d. 4 Decembris 1903).

— P. SIFFLET decreto Coñgnis edito die 5 Martii 1903, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit (ibid.).

Ex Congregatione Sacrarum Indulgentiarum et Reliquiarum:

— Sodalitates B. M. V. Immaculatae, vulgo *le figlie di Maria* apud Sorores seu Puellas a caritate S. Vincentii a Paulo in Gallia constitutae de consensu Ordinariorum possunt, sine damno indulgentiarum, quibus ditatae sunt, prosequi suas devotiones nec non functiones antea usitatas vel in Ecclesia paroeciae, in cuius ambitu erat domus suppressa vel supprimenda, vel (si commode fieri possit) apud alias domus Sororum, quae forte iisdem in locis a periculo suppressionis evaserint (Decr. d. 29 Aprilis 1903).

— Missae conventuales de sancto vel de die, celebrandae diebus quibus Missae privatae de Requie permittuntur, gaudere possunt indulto Altaris privilegiati (Decr. d. 29 Aprilis 1903).

— Eī Patres Cardinales, in suis titulis aequa dieocesis bis centum, Archiepiscopi centum, atque Episcopi quinquaginta dierum indulgentiam elargiri valent, dum tamen serventur cuncta hue usque ab eisdem servata in huiusmodi indulgentiarum elargitione (Decr. d. 28 Augusti 1903).

Ex Congregatione suprema S. Officii:

— Non licet sacra olea transmittere ad Sacerdotes per societatem mercatoriam ex acatholicis, ut plurimum, et ethnicis, quae res varias exportandas recipit. Deficientibus autem clericis licet eadem sacra Olea ad Sacerdotes, quo ipsorum Sacerdotum convenientiae consultatur, mittere per viros laicos, modo constet de laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate (Decr. d. 1 Maii 1901, revocatum in decr. d. 14 Ianuarii 1903 ad respondendum petitioni ut facultas concederetur per publicos missos sacra Olea transmittendi).

Ex Congregatione de Propaganda Fide:

— Instituta sive virorum sive mulierum, sive a S. Sede adprobata, sive tantum dioecesana indigent beneplacito Sedis Apostolicae pro alienatione suorum bonorum. Episcopi, vi privilegii ipsis concessi circa alienationem bonorum dioeceseos, possunt praedictis Congregationibus has alienationes permittere intra limites suaee facultatis (Litt. ad Fridericum Katzer archiepiscopum sub die 15 Ianuarii 1903).

— Non absolute Missae celebratio in navium cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removant irreverentiae pericula (Litt. ad Ioan. B. Cazet, Vic. Apost. Madagasc. Cent. circa interpr. decreti mense Martio an. 1903 de re editi).

— In civitatibus foederatarum Borealis Americae ecclesiis cum titulare festum in diem feriale inciderit, firma manente obligatione celebrandi Missam et persolvendi officium de eodem festo die in kalendario affixa, extrinseca eius solemnitas cum Missa solemnii et vesperis trasferri potest ad Dominicam proxime insequentem, dummodo non occurrat festum ritus duplicis primae classis, vel Dominica iuxta rubricas privilegiata (Decr. d. 3 Februarii 1903).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum:

— Mos ut in Missis solemnibus homines cum mulieribus in choro canant nec licitus est, nec conformis legi et sensui Ecclesiae, nec potest tolerari (Decr. d. 19 Februarii, 1903).

— Benedictio domorum fieri nequit ante Sabbatum Sanctum, neque potest in casu obtineri indulxum. Est autem haec benedictio iuris parochialis (Decr. d. 7 Martii 1903).

— In associationibus cadaverum societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis non possunt praecedere Clerum cum Cruce, sed debent sequi feretrum (Decr. d. 14 Martii 1903).

— Cappella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudet privilegiis quae competit sanctis vel mysteriis titularibus cuiusvis Ecclesiae sive Oratoriis publici solemniter benedicti, nempe ut in oratione *a cunctis* et in suffragiis Sanctorum *ad laudes et ad vesperas* Titularis nominetur (Decr. d. 14 Martii 1903).

— Ita constat de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia eorumque adnexis V. S. D. Maria Magdalena Rostei in gradu heroico, ut procedi possit ad ultiora, id est ad quatuor miraculorum discussionem (Decr. d. 31 Maii 1903).

— Clerici recens ordinati nocturnum eisdem ab ordinante assignatum recitare possunt absque invitatorio, hymno et lectionibus (Decr. d. 10 Iulii 1903).

— Congregationi Missionum indulgetur festum de patrocinio S. Vincentii a Paulo die 20 Decembbris celebrandum cum Officio et Missa propria sub ritu duplice maiori, servatis rubricis (Decr. d. 7 Septembr. 1903).

— Cultus S. Iusti, monachi et martyris, patroni civitatis et dioecesis Segusiensis; S. D. Ioannis Baptiste a Fabriano, sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci, beati nuncupati; S. D. Ioannis de Vercellis, sexto magistro generali Ordinis Praedicatorum, beati pariter nuncupati, confirmati sunt (Decr. d. 7 Septembr. 1903).

PONTIFICES NOMINE PII.

DE CURIAM Summorum Pontificum, quorum ad nostrum hunc diem nomen fuit Pius, non erit abs re breviter recolere: idque prae-
sentim cum res et gesta, a primis usque Ecclesiae saeculis exantata, eorum opera non sine prae-
saglio novi Pontificatus Viro illuxerint, cui placuit se eodem nomine decimo decorare.

Eorum primus qui fuit, in Romanorum Pontificum serie undecimum locum habet. Is saeculo Ecclesiae secundo regnum obtinuit anno CLVIII; Marcionitarum et Valentinianorum haereses condemnavit, tandemque vitam martyrii corona auxit, Marco Aurelio imperatore anno CLXVII.

Multa post saccula ab Eo secutus est Pius alter, qui Pontificum ex ordine CCXXVII dinumeratur, patria Senensis, Aeneas Sylvius Piccolomini. Hic occidentis schismate illo tetrorem grassante iam Pater Purpuratus, Callisto III Pontifici vita functo, anno MCCCCLVIII successit.

Præcipuum vitae eius consilium fuit Turcarum rabiem repellere, quae non modo Episcopus adhuc Ratisbonensi in coetu suasit, sed Pontifex electus, Mantuae coacta regum christianorum contione, pertentavit anno MCCCCLIX. Quarto vero inde anno, procurato eorum foedere, Anconae classem coegit, quunque iam eo descendisset imperium belli ipse suscepturus, morte repentina occubuit anno MCCCCLXIV. Vergilius versus illi, tum rerum gestarum fama, tum bonarum artium operibus, quae perfecit, aptatus non iniuria est:

Sum Pius Aeneas fama super aethera notus.

Pinturichius vero, pictor XV saeculo inter maximos, Senensi in bibliotheca eius fastos pinxit.

Eodem genere natus Perusiae est Pius III, in ordine Pontificum CCXXII qui anno MDIII Alexandro III successit; cuius tamen consilia de innovando in Turcas bello inopina mors eodem anno, paucis post mensibus, intercepit.

Saeculo XVI vero alii duo insuper Pontifices fuere nomine Pii insignes. Pius IV domo Medicea primum, ordine CCXXXI, patria Mediolanensis, qui anno MDLIX Paulum IV domo Carafa, sequens est non sine diuturno conclavis labore, qui ad quatuor usque menses productus fuit, antequam is eligeretur. Ipso regnante, Armenorum communio cum Catholica Ecclesia restituta est, Tridentinumque concilium expletum.

Ei successit Pius V Ghislerius, qui, ordine CCXXXII, Pontificum sanctorum honores renovavit. Eius maximum sane facinus nulloque aevolo delendum fuit triplex illud foedus Iberorum, Venetorumque atque Iauensium in Turcas constituisse, quorum tandem potentiam ad Echynadas insulas Ioannes ille Austrorum princeps, memorabili victoria omnino confregit.

Pius VI domo Braschia, anno MDCLXXV Petri solium concendit. Cuius vitam, magis quam bonarum artium opera, quae patrare iam praeclarata

liberalitate cooperat, infortunia praesertim atque aerumnæ memorandam fecere. Illo enim Dei Ecclesiam regente, Gallica seditio celeberrima contigit, indeque Italiam occupatam a Gallis Pontifex conspexit, sibique ademptum dominium, atque ita ut ipse captivus in Galliam deductus, Valentiae in Delphinatu obierit Idibus Iuniis a. MDCCXCIX.

Tristissimam huius haereditatem Pius VII successor accepit, Claramontius, Cesenas patria. Qui quum Napoleonem imperatorem invitus consecrasset, noluit tamen umquam pactiones ab eo contra Romanae Ecclesiae libertatem ratas habere, vel alterum eius matrimonium sancire. Itaque et ipse principatu pulsus diu captivus in Gallia mansit, quo adusque, de-lapsa iam Caesaris fortuna, Romanae Sedi reditus est anno MDCCXIV. Inde, etsi haud quietis omnino temporibus, ad annum usque MDCCXXIII Petri sedem tenuit, quo anno, fracto ex occasu femore, diem supremum obiit.

Pius VIII, brevissimum regnum tenuit; anno enim MDCCXXIX Leoni XII cum successisset, viginti vix post menses decessit a MDCCXXX. Post Gregorii XVI satis longum, regnum Pius IX excepit.

At huius gesta Pontificis, cuius adhuc omnium in ore nomen carissimum insonat, brevi recolere nota nemo audet. Diuturnum præceteris omnibus antecessorum eius Pontificatum, ad annos XXXI productum, innumeræ paene vices exagitarunt, quarum infelicissimæ fuerunt seditiones et bella annis MDCCXLVIII, MDCCCLX, MDCCCLXVII, MDCCCLXX, quum civilis principatus rursus est Romana sede ablatus. Faustissimi vero dies, praeter ferias solemnes, quae tum Sacerdotii, tum Episcopatus, tum Pontificatus, tum denique annorum Petri exploris totidem iubilaeis sunt celebratae, ii fuerunt, quibus bina dogmata sunt Christianis definita, de infallibili Magisterio Pontificis atque de Immaculata Deiparae Conceptione.

Cuius quidem definitionis iamiam appropinquant quinquagesima anniversaria dies, quam Pius X, domo Riese, ordine CCLXIV, superiore anno, Augusto mense ineunte electus, solemnissime iam edixit iri celebratum.

Cui dilectissimo Patri, tam faustis præsagiis sedem Petri moderanti, diuturnum itemque felicissimum augurari regnum iuvat.

DIARIUM VATICANUM.

(Die I-xx mens. Decembbris MDCCCCIII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres atque antistites qui, munieris gratia, audit sunt a Pontifice, et excemos episcopos sacra limina visitantes, aditum apud Pium PP. X habuere:

a) Exemī viri Iosephus Gutierrez de Agüera, Iberorum apud Apostolicam Sedem legatus; Storer, Civitatum Foederatarum Nordicae Americae legatus Vindobonae, peculiari missione auctus apud Pontificem; Gutierrez Ponce, Columbiae minister in



Anglia et Germania, cui pariter certa missio tradita fuerat; Emanuel Peralta, Costaricæ legatus extra ordinem; Salvador Sanfuentes, Chilenae reipublicæ legatus, qui litteras de munere sibi commisso offerret. Praeterea Ioannes Baptista Ceschi de S. Cruce, Melitensis Ordinis magister supremus; Hermannus de la Faille, dynasta, Belgiam senator; De Gernin comes, Austrorum legationi addictus; Veyler imperator, Hispanorum rei bellicae iam curator.

b) R̄mos Canonicos Lateranenses, Liberianos, Vaticanos; Urbana Seminaria Caprancense, de Propaganda fide, Bohemorum, Ruthenorum, Americae septentrionalis, Leonianum, Austrorum Hungarorumque, Belgarum, Anglorum, Scotorum, Beda; atque agmina nonnulla Virginum Deo devotarum, et collegia pueris sive puellis instituendis.

c) Collegium xii viror. litibus iudicandis, coll. xii viror. Urbi curandæ; Pontificiae domus accensi, atque beneficiis dandis, attribuendis addicti.

d) Pontifícia Academia novorum lynceorum.

e) Romana Unio municipi oratoribus deligidis; foederis ex Italica iuventute consilium supremum; et coetus Romanae provinciae actioni catholicae prævehendae.

f) Hetruscorum manus peregre in Urbem profecti.

Pontificiae electiones.

Em̄us vir Franciscus Card. Mathieu inter Purpuratos Patres ad extera ecclesiastica negotia extra ordinem adscribitur.

Exem̄us vir Demetrius Radù, episcopus Magnavaradinus. Rumenorum in collegium episcoporum Pontificio Solio adstantium cooptatur.

Valerianus Sebastiani, antistes Urbanus, canonicus Lateranen. presbyter Pontificiae cappellæ adsistens eligitur.

Munere ob valetudinem abdicante revño viro Aloisio Martini, Sacr. Rituum Congfi Protonotarius adicitur Petrus Piacenza.

R. p. Dominicus Palmieri S. I. inter indices Congfi S. Romanae atque Universalis Inquisitionis defertur.

Vita functi viri clariores.

Valentiae, die ix, Purpuratus Pater Sebastianus Herrero y Espinosa de los Monteros, archiepiscopus Valentinus, iuris scientia præclarus, Jerez de la Frontera in oppido natus die xx mens. Ianuarii anni MDCCXXII, in Sacrum Senatum adscriptus a Leone PP. XIII mense Iunio an. MDCCCCIII, presbyterali titulo addito SS. Bonifacii atque Alexii ad Aventinum.

Romae, die x, David Farabulini, cañicus Vaticanus, latinarum litterarum doctor et scriptor elegans itemque subtilis, inscriptionum præcipue in arte.

Saranz in oppido, die xvi, Isci antistes, Hispanorum episcoporum S. Iacobi de Cuba postremus.



ANNALES.

Iaponiorum Russorumque contentiones.

CERTAMEN, quod de Asiae imperio potiundo Russi atque Iaponii extrema ad orientis litora iamdiu negotiationibus et legatorum colloquiis iniere, irritatum magis in dies magisque ingravescens diaria enarrant. Iamque Russis oblatam definitivam quamdam condicionem tradebant rei componendae atque ad iungendum foedus, quum Russorum stuporem de tam acriter a Iaponiis suscepta caussa novum auxit atque necopinatum discrimen. Angli enim in-

strui suam classem iussisse nunciantur atque parari ad bellum, ut Iaponios, iure foederis sibi sociatos, tutentur ad victoriam. Quinimo, quod omnium profecto auspicia fecellit, Americanos quoque ex nordicis civitatibus in campum venturos dictitant, qui aegre ferunt Ouidion sinum gentium omnium commerciis patet factum a Russis nondum esse. Anceps est itaque neque obscurus timor, ne quodammodo triplex illud innovetur adversus Russos foedus, quod alias Anglorum, Gallorum Turcarumque armis tantum eorum imperio detrimentum paravit, idque magis quod marinis præsertim copiis longe maiore vi aemuli quam una Russorum classis polleant.



Columbiana pax.

Quoad vero licebit feliciori credamus auspicio, atque una confidere detur fore ut Iaponii belli novae minae non alias quam Columbiani belli novissimi rumores evanescant. Cuius quidem reipublicae legiones, quae iam Panamensem ad isthmum iter suscepserant, infecta re, haud aliter quam exercitus, qui Magdalena in urbem tendebat, Bogotam rediere. Minus autem certum est parem regressum sint necne suscepturi Americanorum milites, qui ex eorum navigiis in isthmum cum descendissent, late occupaverunt. Praedicant enim de pretio iam agi quo forte legiones quinque peditum insuper in Panamensem fines mittantur, iamque, Elliot duce, nautarum militum cohortem Philadelphensem in urbem convenire, ut Colon ad portum proficisciatur.



Somalium barbarorum minae.

In Somalia pertrahuntur, ut iamdiu assuevit, longissimi belli pericula. Novissime ad litus, quod Migiurtini tenent, Italorum nautarum praefectus, Grabau nomine, a barbaris est imperfectus. Qui, quum ut nigritarum atrox coerceret commercium, ad eorum oppidum appulsus esset, cum barbaris renuentibus commissa pugna, vulnus inde mortale accepit, quo brevi supremum spiritum efflavit. Ultio excidium repente est consecuta ab Anglis primis, qui, vix re audita, navigium tormentarium ad litus barbarorum immisere, illudque globis missilibus petierunt; deinde ab Italib⁹ ipsis, qui oppidum omne in cenderunt soloque aequarunt.



Iberorum regis iter ad Lusitanos.

Alfonsus, Iberorum rex, ad Carolum Lusitanorum finitimum regem, eius in urbem caput his diebus duxit iter. Feriae inde sunt celebrae, non sine maxima utriusque populi laetitia; iactum enim dici potest inter germanos populos novum foedus, unde vires communicent; quod non tantum ad mutuam eorum utilitatem, verum etiam ad latinarum gentium roborandos fatos atque instaurandos quam maxime proderit.



Serborum regi iusta denuntiatio.

Placeat ad ultimum vindicandæ iustitiae certum desiderium a nonnullis gentibus coram Serborum rege eiusque asseclis esse palam assertum; ab Austrorum, Germanorum Turcarumque legatis dico, qui quum semel atque iterum Petrum regem commonuerint ut Alexandri sicarios, quos ipse nimis dilectos habere est visus, digna poena plecteret, renuentem illum iaiam nunciantur deserturi. Quae res sacri iuris temeritoribus monimento ac documento sit!



Pacis triumphi.

Galli cum Anglis primum, ac deinde cum Italis foedus ad annos quinque sanxerunt, ut si quae de pactionibus intra contrahentes existentibus controversiae sive iuris, sive circa interpretationem orientur, dummodo ne supremas civitatis res in discriben adducerent, ad arbitrorum tribunal Hagae constitutum deferrentur. Cui quidem servandæ pacis consilio laudabilissimo sperandum est fore ut ceterae quoque Europæ gentes proxime accedant.



PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Americanis nordicis civitatibus coetus utriusque auguralis habita est sessio Rooseveltii praesidis oratione, qui præsertim disserruit et de Panamensi contentione, et de ingruente in dies necessitate condenda Americanæ classis potentissimæ, qua sua illi commercia late per orbem universum tueantur.

In Anglia ad kal. Februarias publici coetus legibus ferendis prorogati sunt.

In Austria De Koerber, administratorum praeses de exercitus servanda unitate orationem habuit omnemque rogationem vel minimum hisce obnoxiam acerrime respuit, cui legatorum praeses Windischgratz omnium veluti mandato, vehementer gratias egit. Post haec sessiones dimissæ.

In Germania Bulowius, qui administratorum præest collegio, adversus socialistas rem militarem defendit, rerumque gerendarum rationem quam hactenus in externis negotiis ipse sequutus est.

In Graecia Ralli administratio eiusque sociis a munere discedentibus, Theotokis suffectus est, qui novos collegas sibi addixit.

In Hungaria, postquam diu oppugnantibus Kosuthii asseclis de delectu habendo rogationes latae sunt, de commerciis cum Italis communicandis ratio est patetfacta. Goluchowski autem coram Hungaria delegatione de civilibus rebus cum exteris statutum exposuit.

In Italia sumptuarii legibus aliisque minoris momenti adprobatis, feriae indictæ.

In Iaponia Imperatorio decreto legati populorum dimissi sunt, ne eorum conciones atque orationes arduum nimis concordiae cum Russis componentes negotium redderent.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PP. X

LITTERAE IN FORMA « BREVIS »
AD IOANNEM BAPTISTAM GROSOLI

PRAESIDEM COETUS

QUI A CONGRESSIBUS CATHOLICIS ITALIAE NUNCUPATUR
AD AUSPICANDUM CATHOLICORUM CONVENTUM
BONONIAE HABITUM DIE X-XIII MENS. NOVEMBR. MDCCCCIII.

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Instaurandum in Christo genus humanum spectantibus, id Nobis vehementer laetabile contingit, ut conventus catholicorum Italiae, vel in ipsis Nostri Pontificatus exordiis agatur. Si enim restituendae confirmandaeque christiana vita illud est aptissimum aetati Nostrae praesidium catholicam actionem fovere, causam procul dubio sperandarum utilitatem uberrimam inesse in praesenti coetu arbitramur. Expectatione tanta erecti, praecepua quadam iucunditate te ac viros claros universos, qui tibi operam navant, merita laude honestamus, quod suscepta a Nobis atque a Decessore Nostro consilia executioni mandare, admittamini. Esse tamen in praesentia censemus in quo industria vestram evigilare maxime edicamus, ne diurnae Pontificum atque Episcoporum curiae sine fructu cedant. Concordiam dicimus omnium, quotquot sunt in Italia rei catholicae dediti, virumque catholici nominis exoptatam tantopere coniunctionem. Nam praesens congressus, si debet aliquid commodi catholicae actioni comparare, comparabit autem gravitate ac fidelitate vestra plurimum, id tandem re atque opere efficiat oportet, quod communi antea desiderio continebatur, ut scilicet, abieictis suspicionibus, depulso opinionum studio, clareque quae sint sequenda perspectis, animum inducant omnes concordiam plenam tam in agendo quam in scriptis edendis amplecti, singulorumque sodaliciorum coniunctionem in ipso egregio coetu firmare, qui a Congressibus catholicis Italiae nuncupatur. Hos tales duces, quorum perspicuus patet spiritus, fideli animo vos sequi debetis qui ad catholicae incrementa rei contenditis unice; neque enim novam, ab iis qui praesunt, gerendorum rationem ac viam quis expetat iure, quum quaestioni sociali sapienter fuerit provisum per Encyclicas Litteras *Rerum Novarum*, catholicae vero actioni perspectum item sit per Litteras *Graves de communi*, ac per documenta quae hac de re, authenticae interpretationis causa, edenda existimat S. Congregatio Negotii Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita. Eiusmodi gravissima doctrinae capita exequi, atque a sententiis per Apostolicam Sedem et per Venerabiles Fratres Nostros Episcopos declaratis nullo pacto discedere necesse est. Quod si auctoritate praeipientibus parendum est ex officio, aequum tamen et consentaneum censebitis incensos agendi studio iuvenes iis etiam debitam observantiam tribuere, qui non aetate minus quam usu rerum praelucere ceteris possint. Velitis igitur alacres atque prudentes ad huius opera conventus inenmberne, id sine dubitatione rati, singulares plane utilitates, quum ad sacra, tum ad civilia e virtute vestra expectari.

Auspicem divinorum munera Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tibi atque iis omnibus qui in coetu aderant peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Novembris MCMLII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

PER ORBEM.

EXACTI iam anni finis non minus exordio ob gravissima infortunia voluit esse insignis, eaque vel aquarum incursum vel ignis rabies partrunt. Siculos, Berberos, Petropolitanos tempestates atroces pessimum dedere. Elata maris ira atque tumens in antemurales inque portuum diruendas munitiones visae sunt quasi coniunctim conspirasse. Quae inde evenerunt rerum detrimenta virorumque caedes nemini dinumerare facile concedatur. At inaequalis tamen haec oceani malesuada procella; Venetos enim eorumque urbem ita inundavit, ut Marcianum per forum subsecivae illae Venetorum naviculae innatarent; dum contra ad Orientis portas Macotidis Paludis fluctus imminui quodammodo atque deprimi visi sunt, et recedere a littore.



Incendia potius Occidentem pervastarunt, praesertim Americanas terras, ibique saevierunt immani potentia. Brooklynensis primum exarsit academia, theatrum urbis maximum; mox Ottawense athenaeum est flammis absustum, quum tria usque hominum millia inibit essent. Heu monstrum horrendum! Dum salutis per fugam queritur via, ruunt fragore immenso scalae, ita ut e fenestris coniicere sese iuvenes pariterque doctores coacti fuerint.

Ne tamen minoris habeatur damnum quod in Gallico Massiliensi litora onustum petroleo navigium peperit. Flammæ enim torresque incensi, longe lateque impulsi, portus quoque opera attingentes, incendia vicissim concitabant. Ea rabie vita functi nautae sunt complures, complurimi quoque simul vulnerati; navigii vero praefectus nullum sui vestigium reliquit, adustus omnino.



Sed paulo meliora canamus!

Haphnæa, Danorum in urbe capite quomodo morbo illi teterrimo mederetur, cui lupus nomen felici fortuna mulier quedam sibi reperit. Quae cum saepe animadvertisset suinas carnes tabaci fumo servari, se ipsam eidem ratione submittere voluit, qua sanata reapse evasit.



Lutetiae Parisiorum conveniunt interea medici ab unaquaque Europæ atque orbis gente, qui, constituto coetu, illud sanitatis foedus probarent, de quo summam utilitatem tum universorum populorum valetudo, tum omnium commercia in dies frequentissima, brevi experientur.

Addemus denique felicissimum anni ineuntis praesagium, Aram Pacis e Romanis latebris in lucem vindicatam. Pace enim profecto quis vestrum, lectores invocare recuset, ut singulas gentes, quas hactenus tutata iamdiu est, ita et in posterum protegat?

VARIA

Capilli et lux.

Ex recentibus inquisitionibus plane demonstratum est non aliter ac sata omnia capillos et barbam eo citius luxuriosiusque crescere, quo magis luci, solis praecepue, fuerint subiecta. Indene fit ut, nisi summam senectutem adeptos, agricolas calvos haud facile inveneris?

Veterum cibi.

Quae sequitur delicatissimorum ciborum enumeratio, ex antiqua charta deprompta, gulæ irritamenta refert, quae Arabum X p. C. saeculo in deliciis fuere. En igitur caninae et felinae carnes; equinum cerebrum elixum, re-

liquae partes capitum assae, intestina vero oryza herbisque farta; en mires, locustæ, scorpiões fricta; denique insecta, Jimaces, angues, tum praesertim cum pellem mutarent.

O tempora, o mores, qui bolos tantos nostris eripuerunt e fauibus!

Longaevitatis admiranda.

Referunt apud Kiew recens obiisse Israëlitum quendam, nomine Falkovitch annis centum et viginti et insuper uno natum, cui liberi vivunt octoginta et amplius annorum aetate graves. Narrabat senex et Catharinam II Augustam, et Napoleonem I se vidisse, pluraque memorabat, quae vix credibilia essent homini tantæ senectutis possibilia memoratu. Vivus historiarum libererat; non enim ab eo memoria defecerat.

Ioci.

Sibila, an silentium?

Poeta gloriatus poeta olim dixit, quum uterque de praestantia fabularum suarum contenderet: - « Quantum volueris extenua deus tragœdiarum mearum, et attere; illud unum fateare denique necesse est, quo super te feror; tuas quippe fabulas saepe theatralibus exceperunt; meas numquam ». - « Numquid - respondit alter, - hoc speras te indicio meliorem adstruere, et praestare? Non tibi tuisque nugis adsibilant, quia nequeunt in sibila contrahi labra taedio oscitantia, et hiantia rictu asinino? ».

AENIGMATA

a FR. PALATA proposita.

I.

In pratis pascor. Frontem mihi sigmate adauge:
in medio vastus monte recessus adest.

II.

Corporibus praesto fulerum. Mihi praeficie si-
solamen miseris praebeo terricolis.
[gma:

Ex sociis, qui utriusque aegnimatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. VI, n. XXI proposita his respondent:

1) Matrona; - 2) Do-dona

Ea rite soluta miserunt:

Ferd. Ferrari, Guastalla. — D. Le Provost, Briocen. — Aem. Gschrvond, Sch. Piar, Praga. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — Ang. Sibilia, Anagnia. — Iul. Sernatinger, Dresden. — I. Wilhem, Battle. — Ad. Huza, Grybavia. — Car. Stegmüller, Sabaria. — Guil. Schenz, Ratisbona. — Civis Romanus, Bremerhaven. — Ab. Ballerini, Novocomo. — Ios. Czudek S. I., Brzozow. — Petr. Garrone, Pezzana ad Verettas. — Henr. Tarallo; Dom. Farese, Neapoli. — Herm. Gini, Aquis Taurinis. — Ios. Wabner, Varsavia Potonow. — Amed. Robert, Marieville in Canada. — Iac. Bertran, Figuerio. — Collegium Scholarum Piaram Stellae. — Fr. Palata, Prossnitz in Moravia. — Raph. Astorri, Firmio. — Call. Amalberti, Altio Intimello. — Alois. Cappelli, Senis. — F. Skiba, Striegau. — V. Hertel, Mendhusio. — Gust. Grünes Sch. Piar, Nicolsburg. — Seminarium Santanderense. — Mich. Vidal, Palma in insula Maiorica. — Aug. Scriban, Buzau. — Ioan. Galbiati, Mediolano. — I. Pagès, Penang. — Ant. Lassota, Sutrio. — I. B. Pesenti, Celana.

Sortitus est praemium

FERNANDUS FERRARI,
ad quem missum est opus, cui titulus:

P. VERGILII GENINI
MINUTIARUM LIBRI DUO.

Ann
DE

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCIV.

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5 Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCII CONSTITUTA

ad libitum:

- a) Tabula metr. $0,45 \times 0,22$ Pontificiae dominationis auspicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCCXLVI peractam, et in Commentarii "Vox Urbis", commodum unice ex antiqua tabula desumpta; *sive*
- b) Collectio chartularum electissimarum, quae distincta coloribus praecipua Romae, aut eius vicina redundunt; *sive*
- c) Urbis et Ianiculo monte prospectus. (Tabula aere cusa metr. $1,10 \times 0,24$).

Donum, quod voluerit, quisque subnotans petet
primum intra mensem ab eius subnotatione et cum
ipso subnotationis pretio.